



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

5. Richardi, & Soarij atque eos sequentium sententiæ confutatae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94285](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94285)

tur; quia cordis secreta antequam natura ad voluntatem; Angeli, cuius secreta sunt, ea alteri manifestandi, non sunt obiecta naturaliter intelligibilia, & proportionata cognitioni Angeli alterius, ut supra ostendimus, atque ex ipsa natura & intelligentia secretorum cordis evidens est: ergo species impressae ad eorum cognitionem Angelis aliis naturaliter non debentur; quare nec à Deo infunduntur: siquidem eorum solum obiectorum, quae naturaliter ab ipsis cognoscibilia, & naturaliter ipsis iuri & cognitioni proportionata sunt debentur Angelis, atque à Deo infunduntur per scholasticos omnes. Probatur: quia pro priori natura ad voluntatem absolutam secreta reuelandi solum possunt infundi à Deo ex scientia possibilitatis, ut aliis reuelentur ab Angelis, ea secreta habituris, imo, & possibilitatis ipsorum secretorum; atque ex ea scientia, vel nullius secreti ab Angelo aliis voluntate propria manifestandi, imo habendi, vel omnium secretorum, quae haberi, manifestarique aliis possunt species naturaliter debita, & infusa Angelis ab initio creationis, & congenita erunt admittenda, cum non sit aliquid, quam aliorum ratio maior: omnium autem secretorum cordis manifestari possibilitatem species cunctis Angelis congenitas, & à creationis initio omnibus, & singulis Angelis à Deo infusas admittere irrationabile prolixum est; atque infinitis speciebus superfluis, nunquam, nusquamque ex visu futuris Angelum quemque ex rei natura (quae superflua omnia odit, & abhorret) inutiliter onerare, ac insuper cognitionibus solis secretorum omnium quae non erunt necessario, & naturaliter cauendis ab speciebus illis, ut dixi, quare nullius secreti cordis angelici species Angelis aliis congenitas atque ab initio creationis à Deo infusas fuisse dicendum est. Quod si dicas ex praescientia absoluta voluntatis Angeli de manifestando alij, vel aliis sui cordis secreta reliquis species infundi: à creationis initio illis infusae, & congenita esse non possunt, cum nonnisi pro duratione, qua voluntas manifestandi absolute erit, absolute in se sit, atque esse cognoscatur, neque sua existentia absoluta pro tunc exigere, possit specierum secreti illius cordis productionem pro tempore anteriore: sicut neque villa alia causa, aut rei cuiusvis create exigentia physica absolute effectus, aut alterius, cuiuslibet est pro tempore ad absolutam suam existentiam anteriore: alioqui ex futura absolute existentia, & exigentia physica absolute causarum, nondum tamen absolute existentium, posset Deus concurrere, & reliqua, quae physice exigunt, praestare, cum adhuc absolute non sunt. Rursus eodem modo dicere poteris, cognitionem secreti cordis Angelici, cuius manifestandi aliquando futura voluntas est, iis quibus manifestanda est congenitam, & ab initio creationis infusam, atque id de specie impressa docere. Denique, cum non existente absolute, absolute voluntate Angeli de manifestatione secreti cordis Angelis aliis, intra secreti naturalis ius illud maneat occultum, & oblatum, atque posterius tempore futura voluntas illud manifestandi absolute non sit tempore anteriori, sed potius absolute eius voluntatis negatio, ius illud secreti illius toto anteriori illo tempore absolute existeret, & improprio obiectiva naturalis secreti pro eo tempore; cum his autem repugnat, ius naturale, & exigentia naturalis absoluta specierum impressarum secreti illius pro tempore anteriori quae absoluta iuris secreti ablatione fundatur.

CERTAMEN V.

Richardi, & Soarj atque eos sequentium sententia confutata.

1. Richardus in secunda disputatione nona, articulo secundo, quaestione prima, docet: Angelum, qui loqui vult, ex radio, & in radio quam substantiali, & ad Angelum, cui vult loqui, libere protenso, educere speciem secreti cordis sui, & cognitionis voluntatis illa manifestandi Angelo alteri: qui specie, vel instrumento sibi praesente, coniuncto localiter, non vero inhaesive viens speciem aliam impressam suo intellectui inhaerentem producit, qua, & secreti, & iudicii, & voluntatis, ea manifestandi Angeli loquentis notitiam eliciat: quo fit, ut is solum reliquis non audientibus, ad quos locutio non habetur, audiat loquentem. Hanc tamen Richardi doctrina de radio Angeli loquentis, ad eum, vel eos, quibus loquitur, pro ipsius arbitrio emisso, ac protenso, somnium potius, quam opinio est, ut ait Vasquez cap. 5. num. 30. scilicet spirituales substantiam, à quouis Angelo, pro eius arbitrio prodigi, ac derivari, dum loquitur, etenim nec completa substantia, nec incompleta esse potest, quia ab Angelo propria creatio proveniat, quod omnium sententia repugnat. Nam si completa substantia sit ex nullo praesupposito subiecto produceretur, ut patet. Si autem incompleta cum nulla alia praeter Angelos loquentem, & audientem substantiam, siue corporea, siue spiritalis, ad eorum locutionem interiacens debeat praesupponi, oportebit subiectum aliquod cum incompleta illa radij substantia, cui inhaereat, & cum quo substantiam completam componat ab Angelo creati, vel ad eius autem adeo, quod aequale sit paradoxum, & absurdum. Si autem dicas, ut haec vites, radium illum non quidem substantiam, sed accedens esse cum extra loquentis Angeli substantiam esse dicatur, nequeque, vi potius accedens, extra substantiam, & subiectum omne esse, subiectum, & substantia illa, cui radius ille accidentaliter infideat, vel ab Angelo, vel ad eius nutum à Deo creanda erit, quoties Angelus loquatur, ut nuper intulimus, quod si velis radium illum, (in quocumque sit) intra Angelum loquentem manere in primis à Richardi doctrina recedis. Secundo in plura absurda, quae ad manum, cuique, & obvia erunt, & subinde nunc reticenda incurres, siue accedens, siue substantiam radium illum esse dicas. Ac deum superfluum illum pones: cum secretorum suorum cognitione, id ipsum, quod radius, ille, eiusque species impressae possint Angelo auditore inferre. Nec plura de somniata ista Richardi doctrina.

2. Recentiores ignominati à nostro Vasquez capite quarto, inquit, sententiam Richardi fictio illo radio reiecto, secuti fere sunt. Consensum enim Angelorum locutionem stare in effectione, & impressione activa physica specierum secreti cordis, seu obiecti, & iudicii, quod de illo loquens Angelus habet, ac voluntatis illa manifestandi ab hoc in audientem provenientium, pro eius, scilicet, libera voluntate praefata, quibus, & eorum audientem Angelus excitetur ad audiendum, & eorum notitiam, qua audiat formaliter in se ipso eliciat. At vero actuum hanc virtutem imprimendi eorum species Angelis aliis, actibus ipsis iudicii, & secretis certis Angelis loquentis hi Doctores tribuunt, subdistant vero in operando imperio libere voluntatis ipsam, eos actus manifestandi, quibus relinquitur. Ignominati

nati vero à Vázquez Recentiores sunt plane Soarez, cuius libri de Angelis, necdum præsum subierant: ubi patet ex eius lib. 2. c. 27. n. 35. & 37. & toto c. 28. ubi multis observationibus, & explicationibus hanc sequitur sententiam; tamen, an species totas secundum substantiam, an solum secundum modum aliquem ipsarum loquens in audiente Angelo producat, non satis explicet: quousque autem modo audientem à loquente in acta primo excitari deuo (ut necessarium est) intelligitur, quod absque alicuius in ipso productione fieri vere, intelligique non potest. Item, cum excitatio hæc, seu specierum impressarum impressio, pro loquentis Angeli libito, in eis solum Angelis, quibus loqui vult contingat, secreta Angelorum locutio, quin alij, ad quos non est, audiant: facile saluatur. Ac demum: cum species istæ iudicij, quod de rebus Angelus habet, atque aliis manifestare vult propriæ sunt, non autem obiectorum, circa quæ illud versatur, obiecta ipsa intuitu ab audiente cognosci non facit; sed abstractiue solum: quare, nec fidei huius obloquentis Angeli testimonium, & auctoritatem obesse (in quavis Doctorum sententia de composibilitate, vel incomposibilitate actus fidei cum visione obiecti eiusdem) obesse vllatenus potest. Hæc autem omnia sententia huius veritatem suadere videtur: in qua melius, quam in aliis eueniunt: & cernuntur nullaque in præfata specierum productione difficultas appareat: citat autem pro hac sententia Soarius, Alensem, Bonaventuram, Scotum, Aureolum, Okamum, & Gabrielum; cum tamen verba, quæ ex ipsis referunt, potius explicatæ sententiæ Scoti fauant, ut demum Soarius recognoscit, planiusque, & consequentius, eorum quilibet fuit, quam supra retulimus, & impugnauimus, faret. Verus citat Zumelem, & Pelancium, possuntque pro eadem sententia referri Soaristæ Recentiores plures.

3. Video hanc sententiam leuissime à multis impugnari. In primis à nostro Alarcon, Arriaga, & aliis: quod species istæ non possent ab Angelo loquente in audientem distantem immitteri, quin per medium, & intermedios Angelos (qui prouide, quid Angeli distantes loquantur, intelligant) continuata productione diffunderentur: ne loquentis Angeli actio in distans, quin in propinquum contra totam experientiam & philosophiam admittatur. Quo argumento, nil efficaciter contra hanc sententiam concludi fatetur Arriaga, cum ita respondit, absque vilo absurdo, possit, ego vero absurdum hoc esse contra hunc Doctorem superius ostendi. Quod autem spirituale agens in passum spirituale, spirituales actionem in distans, quin in propinquum exerceat, & in illo, quin in medio spirituales effectum, seu impressam speciem producat, absurdum, experientia, & philosophia principis non reputo contrarium: experientia quippe, ex qua principium illud non potest esse operatio in distans, quin in propinquum, in agentibus, passisque corporeis deprehensa est, ac tenet; ex quibus ad spiritualia pure (ut bene Soar. cap. 21. num. 13.) consequentia non tenet, & incorporeis omnibus, succino, & magnete tenere debet; tamen intermedia corpora ferro, & palleis diffusa qualitate ab illis non trahantur, quia alterius natura, & conditionis, à palleis, & ferro sunt: & sane Angelos, imaginario, & vacuo spatio distantes, in quo nihil agi posset colloqui nequire, est incredibile, quod autem inde fiat Angelum Angelo infinite distanti loqui posse, ingenue, & recte Soarius fatetur. Nec enim inde infinita Angeli virtus inferatur; cum nihil in medio infinito extensum producat, & species in Angelo infinite distante, finitæ entitatis sit, nec maioris, quam si vicino, aut penetrato Angelo loqueretur, & certe Doctrina hæc de immisione specierum physice à loquente in distantem Angulum, quin in intermedios propinquiores loquenti, non à quouis cordis Angelici secreto, eiusque iudicio, sed à sola voluntate

Christoph. de Ortega, de Deo Vno. Tomus II.

re illud alteri manifestandi actiue proxime, proueniet, ut certamine sexto, explicabimus, & ex dictis, tom. 1. de Deo vno controuers. 1. disputatione de immensitate, quæstione de efficacia demonstrationis vbiuitatis Dei, ex eius operatione vbiue facile constabit. secundo obiciunt specierum obiecti, & iudicij manifestandi physicam productionem in mente alterius, adhuc voluntariam loquenti, locutionem esse non posse, siue actiue, ut ab hoc sunt, siue passiue, ut in illo recipiuntur, quod multis in casum probare contendunt, ex nostra vulgari locutione (quam de angelica disputantes dediscere oportet) petitis: sed hoc apparentius Deum, scilicet, quousque obiectorum species producit, immittereque rationali creaturæ, ad ipsam proprie loqui esse ab his Doctoribus admitendum: cum autem species ad errorem possit creaturæ rationali immittere, & sæpe de facto Dæmonibus ad eorum cruciatum infundat (ut cum Vázquez, & aliis docuimus) falsum loqui poterit, ac sæpe mentietur, sed neque haud quidquam præstat, locutio enim non stat in specierum, cuiuslibet obiecti physica productione voluntaria, sed in productione specierum iudicij, quod de obiectis, quæ locutionis materia sunt, loquens habet, quas de iudicio, quod de eis non habet, nec habere Deus potest, nusquam infundit, neque infundere, absque sibi repugnante mendacio possit. Etenim locutio iudicij, quod de re habemus, testificatio est; quomodo-cunque, siue editis signis, ut apud nos euenit, siue speciebus immixtis (ut apud Angelos fieri hæc sententia vult) ea testificatio peragatur.

4. Tertio obiciunt infundi species ab Angelo loquente in audientem minime posse; alioqui aliquid, ultra motum localem, & specierum applicationem in animabus nostris, non solum separatis, sed corpori etiam immeritis agere possent contra Theologos omnes. Etenim corpori immersio, etsi anima, ut circa obiecta, actiue versetur, eo modo, quo versaretur separata omnino officiat, sique impedimento (quo circa, nec se ipsam, nec suos actus habuit, & species, nec quidquam aliud, præter obiecta sensibilia, ut in se ipsis sunt, queat percipere, sed solum sensibilibus adiungat, quæ tamen omnia in se ipsis intuitus pro statu separationis cognoscet) at vero receptioni præ ab alio agente de se actiue, & potente, eius operationis, & effectus, cuius secundum entitatem suam capax de se sit non officiat: ergo, cum Angelus de se potens, & actiue sit specierum in anima separata, æque, atque in Angelos alios, quibus illi, sicut his per nos loquitur, loquatur, in eam etiam pro statu coniunctionis ad corpus actiue, & potens ad eas species immittere absolute erit, eiusque ipsis animæ pro eo statu loquetur, & certe ita efformata ratio, euasione nostri Arriagæ disputatione decima secunda, sectione tertia, numero decimo octauo, § quorumcumque vero, & § omnes ergo, præoccupat, atque anticipato præcludit: cum discrimen apertum sit inter actiuam animæ coniunctæ, corpori impotentiam, ea obiecta cognoscendi intuitiue, & ut inceserunt, ac non sensibilibus, adiungat, ex eius necessitate conuersionis ad phantasmata, ut pro hoc statu insensibilia percipiat, & speculetur, uti omnes, & omnium experimento quotidiano didicimus, quod in pura receptione, & passione specierum impressarum, quarum capax de se, & natura sua anima est, locum non habet, contra quam nullam experimentum, adest, nec ratio militare videtur. Nihilominus paululum deducto extensioque discursu ex præfato experimento necessitatis conuersionis ad phantasmata, ut pro statu coniunctionis ad corpus anima insensibilia speculetur, ac subinde ea non, ut in se sunt, sed sensibilibus adiungat cognoscat naturalis incapacitas ipsius pro statu eodem, ad species proprias insensibilibus

obiectorum, (cuiusmodi secretorum cordis, & iudicij Angelici sunt) pure etiam passivè recipiendas, ac subinde ipsi correlata impotentia Angelorum activa eas animæ pro eo coniunctionis statu immitteri facile monstrabitur, ac tertia hæc contra hanc sententiam obiectio omnino evanescet. Etenim pro eo statu, quo earum specierum usus naturalis est animæ naturaliter impeditur receptiva, & pure, etiam passiva, eius naturalis capacitas, & naturaliter expedita (ac subinde naturalis actiuitas, & potentia Angelici, & naturaliter expedita ad eas animæ immittendas, erit impossibilis, ut patet; alioqui naturalis capacitas, & naturaliter expedita ad earum specierum, usum erit. Simul, ac non erit, contradictione manifestata; atqui pro eo statu, quo naturalis capacitas receptiva, & pure passiva ad earum specierum usum, & naturaliter expedita est animæ impossibilis, est etiam impossibilis absoluta naturalis capacitas & naturaliter expedita ad eas recipiendas: ergo pro statu coniunctionis ad corpus naturalis capacitas receptiva, & absoluta, & naturaliter expedita ad eas absolute recipiendas est animæ impossibilis. Discursus est legitimus. Maior probatur: quia cum naturali necessitate conversionis ad phantasmata, ut insensibilia cognoscat sensibilibus adiungatur, ac non, ut insensibilis anima pro statu coniunctionis ad corpus impossibilis est naturalis, & naturaliter expeditus usus specierum, insensatarum, & propriarum obiectorum insensibilium, quare, & capacitas receptiva, & pure passiva naturalis, & naturaliter expedita ad earum usum: esset enim naturalis, & naturaliter expedita capacitas, & potentia ad usum naturaliter impeditum, & impossibilem, quod repugnat. Minor probatur: quia, cum totus specierum insensatarum, & propriarum insensibilium obiectorum producendarum finis earum usus, & cognitio illorum, ut in se sunt, omnino sit, earum producendarum, & recipiendarum naturalis, & naturaliter expedita potentia repugnat, quoties naturalis & naturaliter expedita facultas ad eiusmodi usum repugnat. Confirmatur: quia cum earum specierum usus præfatus sit animæ pro eo statu naturaliter impossibilis, non nisi de superfluo (quod natura exhorret) pro eo statu in anima fieri, & recipiuntur.

6. Mitto alia, quæ ab Alarcon, Arriaga, & aliis, cum absolute, cum ad hominem contra Soarium opponuntur. Neque enim singulorum inconsequentias insequi, aut coniectari insula à Deo disputatio- nis animus suppetit, aut tempus, quæ vero absolute contra hanc sententiam ex Alarcone obijci poterant opportunius contra sequentem sententiam opponuntur, ac diluuntur: duo igitur sententiæ huic firmius, aduersantur. Primum est contra virtutem, immediate, & proxime actiuam Angeli loquentis specierum pro eius arbitrio in audientem immittendarum. Docet enim, ut vidimus eam, cum cordis secretis, tum iudicio, quod de reuelandis loquens habet proximam, cuique eorum actiuitatem adequatam suarum specierum naturalem inesse: Hinc autem inferitur naturaliter, & necessario illorum quoduis species suas impressas proprias in Angelos alios earum recipiendarum capaces esse immittendum: quod autem recipiendarum capaces omnes Angeli sint, eisque receptis, naturaliter cuiusque eorum obiectorum naturaliter, & independentem à libera Angeli alterius voluntate, eorum omnium secretorum cordis, & iudiciorum, reliquorum Angelorum cognitiones eliciuntur: ac proinde nullum cordis, & iudicij Angelici erit naturale secretum. Nec refert, si dicas: actiuitatem illam proximam, naturalem, & adequatam secretorum cordis, & iudiciorum Angelici cuiusque, ad species sui proprias in aliis Angelis producendas subordinari in operando Angeli eas habentis liberæ voluntati: non secus, atque habitus tam infusus, quam acquisiti virtutum, & loco motiua potentia in harum actibus efficientis voluntatis nostre arbitrio subordinantur. Contra enim est: quia etiam potentia & virtutes actiue naturales, quæ ad suas operationes edendas, & adequatas virtutes sunt, vel

voluntatis, alicuius facultatis vitalis ipsi, saltem quoad explicationem, subordinatæ, vel complendæ, ex voluntatis imperio libero pendere in operando possunt, ac de facto pendent, ut exempla adducta testantur; aut potentia, & virtutes naturales adequatæ proxime, & completæ suarum operationum, & effectuum (præsertim, quæ animi ipsius potentia vitalis, non sunt,) nullatenus in suis operationibus, & effectibus edendis, imperio, & libertati voluntatis subduntur, subinde possunt; tamen ei proxime, vel remote animæ, cui ea insidet, insideant, & radicentur. Hinc actus voluntatis, & iudicij, quæ specierum, & habituum suorum principia, actiua proxima adequata, (in hac sunt, neque voluntatis, aut potentia alicuius ipsi subdita, ad eorum actiuitatem complendæ in eis operandis, voluntatis imperio, & arbitrio subduntur: similiter, nec sententia, ut in imaginatiua, & aque imaginatio cum intellectu possibili, seu passibili in ipsum species transmittitur, neque species istæ, ut obiectorum producant, visionem, & intellectionem, nisi aliud animus sit totus distractus, & intentus, seu dissentus, tamen horum actuum plerique eidem potentia, eundem animo insideant, & vniuersum nullus potentia actus aliorum effectuum adequatæ, proxime actiui, (qualia obiecta hæc, cordis secreta, & iudicia Angelica suarum specierum esse in hac sententia admittuntur) in eis producendis, ab imperio voluntatis (à quo in elicendo pender plerumque) pendere inueniuntur, ob rationem dictam.

6. Nec ratio hæc vniuersalis ex potentia loco motiua, seu progressiua, quæ impulsus in membra animalis ad gradiendum principium actuum proximum, adequatum est, & tamen in eo producendo, imperio, & arbitrio voluntatis subditur, neque ex intellectu, qui speciebus receptis principium actuum proximum, & adequatum est ab arbitrio volentis aliud distrahatur, in elicendi intellectione pender, etiam loco motiua, & intellectiua potentia animæ facultates naturales sunt, atque ipsi subinde in operando, etiam non, quoad influxum partialem, quem anima ipsa (si à suis facultatibus vitalibus re ipsa distrahatur, quod abnuo) præstet, tamen pender, quoad applicationem: principium autem, & ratio nostra de adequato principio actiui proximo, non vitali, seu quod facultas vitalis animæ non sit nec quoad applicationem à libera pendeat voluntate (ut obiecta respectu specierum suarum) solummodo procedit: ac præcipue de actiua virtute actuum voluntatis, & intellectus ad suas species, & habitus, quam sententia hæc secretis cordis & iudicij Angelicis, ad species sui impressas in aliis Angelis producendas attribuit. Respondet Soarius: habitus, & species ab actibus productas, in eo, qui actus elicit, ipsius, & potentia, à qua eliciuntur perfectiones naturales esse, quare & eius naturalibus facultatibus, quarum productio naturalis necessaria, neque voluntatis imperio & arbitrio subiecta est, debere assimilari species vero ab actibus vnius Angeli in alio productas, illius Angeli alterius: perfectiones naturales non esse, neque Angeli actus ipsos elicientis: quare neque ab eis actibus debere naturaliter & necessario eas in alio Angelo species neque produci, sed pro eis qui ad illi loquuntur arbitrio & imperio. Ceterum cum etiam productio specierum sui in alio homine, & Angelo, ac non ut perfectiuntur ipsos, competat pro arbitrio illas in aliis, producent, vel secus iuxta hanc solutionem, libereque proflus se eis prodeunt, vel occultabunt, atque omnibus conaturalissimos, fabulosus ille gygis annulus erit. Est autem hæc conclusio, æquiuocatio pura, qua naturalis perfectio, pro suo, æquiuocatio pura, qua naturalis perfectio, pro sua perfectione, naturaliter, cuique debita, & aduenda subinde, productaque necessario in ipso significatur, cuiusmodi solæ facultates naturales, & passionis physice sunt, in quibus species habitusque, cuiusque actibus provenientes, nullatenus censentur: solumque naturales perfectiones, prout naturales, supernaturali opponitur, dici possunt, siue species in elicente actus, siue in alio ex eis actibus producantur: ac proinde

proinde quoad naturalem, ac necessariam, vel liberam, atque ex arbitrio eos actus elicientis, specierum productionem nullum discrimen esse potest, siue in ipso, siue in alio producantur. Respondet tandem Soar, requiri voluntatem liberam Angeli loquentis, ut conditionem, ac determinationem actiuitatis obiectiue specierum suarum in aliis producendum, quam iudicis, & secreti cordis angelici tribuit. Cum enim actiuitas hæc ad species omnes in alios Angelos omnes immittendas determinata non sit, (alias cum illæ infinite sint determinata ad infinitum producendum esset, quod actiuitati creatæ, & finitæ repugnat, nec maior sit ratio intrinseca determinationis ad eas in aliquibus Angelis, quam in reliquis producendas ab arbitrio loquentis eam determinationem debent recipere.

7. Duo in hac solutione miscentur. Alterum de infinitate actiuitatis horum obiectorum ad species omnes impressas, possibiles reliquis omnibus Angelis immittendas, quod æquè argui potest ex sola possibilitate infinitarum specierum, ad quam ea actiuitas terminatur, atque ex productione, dummodo successiva sit, ex qua nihil contra limitationem actiuitatis creatæ deducitur: siquidem solum, ad infinitum syncategorematicum actiuitas infertur, quam intellectus, & voluntas creatura proculdubio habent: cum nunquam futura æternitate, tot actus producantur ex facultatibus suis, quin plures, & plures producantur, queant. Alterum ex indeterminatione intrinseca ad species ad hos præ aliis Angelis immittendas: quam certe, si naturalis actiuitas eorum obiectorum (ut hi aiunt) sit, nec habent, nec possunt habere respectu Angelorum ad debitam distantiam existentium: ut nec reliqua obiecta respectu subiectorum capacium recipiendi species ipsorum, si intra sphaeram actiuitatis expeditam sint, & agentia quous naturalia ad suos effectus in subiecta capacia, & intra sphaeram suam, non impediantur posita: quare, cum indeterminatione vterior ex parte actiuitatis, extrinsecus in imperio voluntatis, quaritur, ex parte applicationis subiecti capax intra eius determinatam, ex parte sui, actiuitatis sphaeram solummodo determinatio subiecto ipsi extrinseca deficiat, ac proinde extrinsecus à determinatione voluntatis, eius penes, quem potestas est applicandi, & ponendi subiectum illud intra eius actiuitatis sphaeram quæri debet; alioqui æqua facilitate defendam, nec Angelum, nec hominem ad diffundendas species sui, in alios sufficienter approximatos, imo, neque actus ipsos ad producendas species, & habitus, in subiectis suis, imo, nec agens vllum naturale absque imperio extrinseco voluntatis alicuius ad suos effectus edendos determinationem intrinsecam suam actiuitatis habere, nec, nisi ea extrinsecus, ab alterius libera voluntate, & imperio adueniente posse ad suas naturales operationes prodire. Denique male Soar, ipse, & reliqui eius sententiæ Patroni, cum reliquis Doctoribus, eos confutabunt, qui liberam loquentis Angeli voluntatem requirunt, ut conditionem sine qua non, ut species ab eo in alium Angelum immittat, eliciant in eo cognitionem: quia nimirum illæ intrinsecam habent, & quatenus ex parte obiecti est, adæquatam actiuitatem, quare, & ad eam eliciendam, actiuitatem determinationem. Idem item dicunt omnes actus, ad species, & habitus proprio subiecto ingenerandos ipsius imperio, ut conditione, ob eandem rationem egere, eoque deficiente, cessat, adæquatæ naturalis actiuitatis, ac subiade actiuitatis determinationis, sint, non agere dicunt. Similiter, yndecumque habitus species, ut in proprio subiecto, sui obiecti cognitionem eliciant, voluntate libera subiecti illius, ut conditione adæquatam earum obiectiuam actiuitatem determinante, opus habere idem omnes docebunt. Nec locum amplius huic euasioni facit Ariaga citat. d. 12. sect. 3. num. 21. §. Hoc argumentum, exemplo vbi- cationis in loco vicino, necessario prærequiritur, ac necessaria conditionis, ut quis in immediato loco

suam præsentiam, & vbi- cationem, ad quam adæquatam habet actiuitatem, producat. Etenim ea conditio non est ad productionem vbi- cationis absolute, & simpliciter in loco immediato, sed ad productionem eius per motum, seu, quæ motus sit, qua ratione vbi- cationem anteriorem in loco vicino, ut terminum, à quo requiritur: non, ut conditionem, & determinationem actiuitatis intrinsecam, respectu productionis præsentis in loco illo, quam si, in loco vicino non præstiterit, primo produceret, cum primum existeret. Præterquam quod, determinatio hæc, & si ad productionem eius, simpliciter & absolute talem, nec solum, ut motus sit, requiratur, non ex parte actiuitatis intrinsecæ, & ex parte sui indifferentis, sed applicationis loci, sed ad locum requireretur, ut de subiecti applicatione, & approximatione debita, ad agens diximus requiri.

4. Secunda præfata sententiæ impugnatio solida ex naturali potentia Angelorum ad mentem, dum, alioque locutione sua decipiendos desumitur: eam vero potentiam in Angelis Soarez, & huius sententiæ adhectæ omnes admittunt, nolque, & auctoritate, & ratione superius, cum reliquis probauimus contra Ariagam, qui docet eam Angelis negari probabiliter posse: ego vero speciem probabilitatis, qua Angelis quorum voluntatibus, ad maiora mendacia, & turpiora longe crimina potentia, & exercitium, de facto, ex fide, & ratione concedenda necessario est, potentia ad mendacium negatur, prorsus non video; ea vero statuta, contra præfata sententiam arguo secundo, species impressa nequit physice agi, in Angelum audientem à iudicio Angeli loquentis, quod absolute, nec est in se; nec Angelus habet, qui admittatur actionem physicam à principio actiui, seu agente, quod absolute in se ipso non est, absolute physice prodire; quod repugnat: sed, si Angeli locutio, per physicam specierum immisionem, à iudicio eius in Angelum audientem, cui illud manifestatur, fiat, vel eiusmodi species à iudicio, quod nec in se absolute est, nec Angelus habet, prodire physice absolute possent, vel Angelus absolute non posset mentiri, contra id, quod aduersarij, ac reliqui Theologi, præter Ariagam, certum supponunt: ergo locutio Angelorum, nec stat, nec fit per physicam productionem specierum à iudicio loquentis in Angelo audiente. Minor probatur: quia locutio mendax stat in manifestatone facta alteri à loquente iudicij sui de re, de qua loquitur, quod nec absolute est, nec loquens in mente sua habet: manifestatio vero seu locutio mendax, stat, fierique debet per species iudicij manifestati, ab ipso physice productas, in Angelo audituro, cui manifestantur: ergo, ut locutio mendax Angeli esse absolute possit, necessarium est, ut species, à iudicio, quod, neque in se absolute, nec in mente loquentis est actiue physice in audituro Angelo, cui manifestatur, producantur: quare vel hoc admittendum est; vel negandum Angelum absolute posse mentiri. Refertur denique posse affinis proximæ sententiæ alia, locutionem, Angelorum in physica non actiua, sed exactiua suarum specierum immisionem in alios Angelos, ab eisdem actibus voluntatis, & iudicij Angeli loquentis, quatenus à Deo absolute physice exigunt pro arbitrio loquentis ut species suas in aliis Angelis producat. Sed hanc sententiam apud neminem, de eis omnibus actionibus Angeli loquentis, vidis sed solum, de voluntate manifestandi alteri cordis secreta, reliqua, ut cert. 6. & asseram, & quæ contra hanc, absolutam physicam exigentiam productionis specierum, à Deo in alio Angelo vniuersim impugnat, dissolutam eam vero omnibus actibus, etiam iudicij loquentis, quod alteri manifestare vult, tribui non posse postremum argumentum ostendit. Cum enim absoluta hac exigentia physica (quæ rei absolute existentis solum esse potest) locutio angelica constiteri nequeat, nisi, absolute posse Angelum mentiri perperam negetur, neque in illa, physica, absoluta, exigentia locutio

Angelica stabiè Primum argumentum, quod efficax contra Soarij sententiam iudicauit contra hanc, non ita efficaciter instrui potest, quin habeat ap-
parentiores solutiones, quas persequi longius,
quam vile foret.

CERTAMEN VI.

Gemma, ac vera S. Thomæ sententia
statuitur, & propugnatur.

1. Sanctus Thomas 1. p. quæst. 107. art. 1. rem ip-
sam angelicæ locutionis his explicuit. Ex hoc
quod conceptus mentis angelicæ ordinatur ad mani-
festandum alteri per voluntatem ipsius Angeli, al-
teri innotescit; & sic loquitur unus Angelus al-
teri. Hæc tamen verba, non ita intelligenda sunt,
vt sola extrinseca ordinatione voluntatis mani-
festandi alteri. Angelo conceptum mentis, nullo
alio tunc denuo, in mente audientis producto,
sed per species impressas Angelis congenitas,
eius conceptus manifestatio, & cognitio fiat, ac
locutio eiusque effectus peragatur, (vt citati Do-
ctores cert. 4. §. intellexerunt) sed ita, vt locutio
Angeli, realiter formaliter stet in voluntate eius
libera manifestandi suum conceptum, & iudicium
de re quavis, de qua loqui alteri vult, vt expresse
docet S. Thom. verbis relatis; excitatio vero An-
geli, ad quem loquitur, per emissionem specierum
impressarum iudicii, & voluntatis eius à voluntate
ipsa physice exactiue, & physice exactiōi naturaliter, il-
lico annuit, easque in audituro Angelo physice
producit, quibus hic loquentem audit, cum eis
adiutus iudicii, & conceptus indiuidui, & volun-
tatis Angeli loquentis, (quæ ipsius locutio, & qua-
si propria vox est) elicit cognitionem. Sententiam
hanc, S. Thomæ sequuntur Thomistæ Recentiores
Dominicani, & ex Thomistis Iesuitis, Valentia
ad citatam disp. 8. quæst. 4. punct. 2. sententia sexta,
Soar. tom. 2. de religione, lib. 2. de oratione:
cap. 4. num. 5. et 2. de Angel. c. 2. à num. 13. eam
multis impugnet. Hæcherus ad citatam quæst. 107.
disp. vii. §. quarta, & probabilissima, Granados tr. 5.
disp. 4. sect. 1. Ioann. Præpositus, 1. p. quæst. 57. a. 4.
dub. 4. est non adeo distincte locutionem Angeli
loquentis, & audientis excitationem ab ipso expli-
cuerint; sed solum locutionem, in præfata lo-
quentis voluntate constituent, quæ ex parte Caietan-
us, & reliqui à nobis citat. cert. 4. num. 5. no-
biscum conueniunt; tamen, quoad excitationem
audientis Angeli à loquente per denuo immittas à
Deo species impressas ad exigentiam physicam vo-
luntatis illius à nobis dissident. Tamen senten-
tiam, fere, vt à nobis proponitur, tenet noster
Arriaga, citat. disp. 12. sect. 4. Dixi vero excitatio-
nem audientis à loquentis præfata voluntate fieri
per species, vt minimum, physice exactiue prove-
nientes; quia eas physice actiue à voluntate loquen-
tis Angeli immitti fors, improbabile non est, vt
inferius videbimus, & quidem præfata explica-
tione, & præmissis aliarum sententiarum impug-
nationibus, satis quoad utramque partem senten-
tia nostra probata videtur, cum in nullo alio locu-
tio Angeli, & per illam excitatio alterius ad illum
audiendum, stare possit, atque omnia, quæ in locu-
tione, & auditione interueniunt aptissime, & facili-
lime intelligantur. Sed tamen utraque sententiæ
huius pars seorsim proponenda, & statuenda est, at-
que ab impugnationibus aduersariorum, quæ specia-
liter contra vnam quamque militant, vindicanda.

2. Igitur locutionem Angelicam realiter forma-
liter stare in voluntate manifestandi alteri Angelo
conceptum mentis, quem de re loquens habet, vt
aiebant S. Th. & Thomistæ ex Dominicani, & Iesui-

tis citati; Probatur. Quia locutio realiter formaliter
stat in eo, quo internum de re quapiam iudicium,
ac loquens, quatenus ex parte loquentis, & in actu
primo est, determinate alteri manifestatur: atqui
voluntas Angeli manifestandi alteri suum concep-
tum, & iudicium, de re quapiam est id, quod ex
parte ipsius in actu primo determinato & determina-
te manifestatur alteri conceptus, & iudicium, quod
de re quapiam, de qua loqui cum altero vult, lo-
quens habet: ergo voluntas eiusmodi est Angeli
locutio. Maior est certa: quidquid enim viterius
requiri contendatur, ad locutionem humanam no-
stram, & sensibilem requiratur, non autem ad pure
spiritualem, & insensibilem, neque ad locutionem
generatim, & vniuersim sumptam vt inferius pate-
bit. Minor probatur, quia voluntate Angeli mani-
festatiua sui conceptus, & iudicii de re quapiam
ius secreti, quod ante illam habebat respectu An-
geli, cui illud manifestare vult, realiter formaliter
ex parte Angeli loquentis in actu primo determi-
nato, & determinate aboletur, ac redditur obie-
ctum illud naturale, & proportionatum naturali
facultati intellectuæ, & intellectu Angeli alte-
rius, quin possit ab Angelo loquente, ea voluntate
stante, vlatenus, occultari, cum iudicium tam vo-
luntas ipsa, atque eum esse, qui loquitur: immo,
providentiæ naturali stando, eorum species, &
cognitio in Angelo, cui alter loquitur, impediri à
Deo nequit. Secundo ea voluntate posita, ponitur,
quatenus ex parte loquentis, est principium determi-
natum, & determinate excitans illum, cui ea vult
manifestare, vt ipsum de re quavis audiat, & ea
omnia cognoscat (vt statim probatione secundæ
partis sententiæ nostræ constabit) atque, atque ho-
mana locutione externa, per verba prolata à lo-
quente: ergo ea voluntas loquentis Angeli mani-
festandi alteri Angelo iudicium, seu conceptum,
quem de re quapiam, de qua ipse loquitur, aue-
eum esse, qui loquitur, est realiter formaliter An-
geli locutio. Contra hanc sententiæ huius partem
(in qua cum S. Thomæ Thomistæ omnes Domini-
cani veteres, & recentiores, atque, ex Iesuitis
Thomistis plures conueniunt) vnum solum argu-
mentum militat, quod Vasquez induxit, ac multos
deinceps turbavit, locutio omnis realiter forma-
liter est verbum: unde idem apud Latinos est *verbo*
facere, ac loqui: atqui verbum realiter forma-
liter essentia sua est actus, seu operatio intellectus,
non voluntatis: ergo actus ille loquentis Angeli vo-
luntatis manifestatiua, conceptus sui alteri Angelo,
non est realiter formaliter, Angeli illius locutio.
Confirmatur, quia omnis intellectus verbum est,
vel secum necessario, & independentem, à volun-
tate libera, & arbitrio loquentis verbum, vt essen-
tialem sui terminum deuoluit: Confirmatur secun-
do, quia ideo Patres aliquot, recitati à Vasquez,
aiunt linguam angelicam, nihil nisi eorum intelli-
ctum, seu intellectiōem esse. Miror Patrem Sua-
rez hac ratione, & confirmationibus contra hanc
conclusionem vti; cum tandem cap. 28. num. 31.
in actu immanente Angeli loquentis, quem quan-
doque intellectus, quandoque voluntatis actum
esse dicit, eius locutionem nituntur. Intellectum quip-
iam pura æquiuocatione nituntur. Intellectum quip-
iam, & intellectu propria, quisque sibi loquitur,
pe, & intellectu propria, quisque sibi loquitur,
non aliis: de qua ad alios locutione angelica, est
disputatio præfata. Patres solum contendunt An-
gelos non habere potentiam, aliquam, seu linguam
corpoream naturalem, quæ verba externa producat,
vt loquantur; sed absque ea loqui aliis, quæ intel-
ligunt, ac lubinde eorum linguam esse, intelle-
ctualē, siue intellectu solo perceptibilem, in
quocumque interno actu Angelorum eorum locu-
tio stet: de quo Patres non curarunt, illud de ver-
bo fieri, possit, & quo locutio ad alios etiam
constat, vt phrasia latine demonstrat, intemum
aduersariorum euerit; est siquidem phrasia de ver-
bis externis, seu vocibus corporeis nostris, quibus